Poësis 1269

Chojnacki Andreas: Dei Hominis a Mortuis redivivi Triumphus. 1669.

DEI HOMINIS
à Mortuis redivivi,

TRIUMPHUS,
Pro ſolenni Feſtiuitate Dominicæ
RESURRECTIONIS.

MAGNIFICO AC GENEROSO
DOMINO, D.

LAURENTIO
DE WOŁCZYN

WOŁCZYNSKI,
Sacri Romani Imperij

LIB: BARONI,
Vectigalium Regalium & Reipublicæ per Minorem Poloniam
Generali SUPERINTENDENTI,
Domino & PATRONO ſuo colendiſsimo.

Dedicatus Anno 1669. 21. Menſis Aprilis.

In Stemma Gentilitium
MAGNIFICI AC GENEROSI DOMINI
WOŁCZYNSKI.



Fortior eſt virtus, ſolido firmata labore;
　Sudoriſque ſui, præmia iuſta capit.
Symbolon id robuſtus habet, patiensq; laboris;
　Qui ſolidum, forti, BOS pede ſignat opus.
Hoc meritis Inſigne Tuis, hoc cedit honori;
　Quem labor, & virtus quem generoſa probat.
Sic Tibi Wolczyni decus immortale paratur,
　Sicq; laboris adeſt aurea meſsis, honos.

Magnifice ac Generose Domine.

S*Vccreuerat inter spinas* ROSA, *& mille puncturis saucia, purpuram sibi metipsa tinxerat, quâ gloriosè induta Regina florum & esse, & dici meretur: Pugnauerat cum ferocissimis quibusdam animalibus* LEO de Tribu Iuda, *& fortitudine suâ regium nomen super omnia animantia consecutus est: Tranauerat naufragijs infamem Hellespontem, & regale Vellus à stygia Colchide post triduum reuersus* Victor Iason *obtinuit: Consumpserat super Myrrhæ fasciculũ seipsum* Phœnix, *vt in nouum eumq; solum iterum renasceretur: Occubuerat Rex Siderum* Sol, *ut clarior resurgeret: Exaruerat ob amoris deliquium, vsque ad Sanguinem & aquam effusus* Pelicanus; *sed cum prole sua, quam sanguine proprio iterum genuit, dum redemit; triumphali paludamento redijt purpuratus: Imperatrix* Aquila, *quæ in arduis Caluariæ iugis posuerat Nidum suum, in matutinis subuolauit: Verbo, post perpessos maximos cruciatus ac necem ipsam Rediuiuus* CHRISTVS *gloriosus resurrexit, quem sub præfatis Symbolis* Tibi Magnif: ac Gen: Tuæq; *Humanitati dedico ac præsento. Si odore florum caperis,* Rosam *accipe,*

quæ

quæ nullis amplius viget spinis: si amœniores dies exoptas, vernum Solem *habes sine macula orientem: si decorus amas videris, Vellus adest* Iasonis *adornatum: si irruentes in Te aduersitates expauescis, ecce* Leo *paratus ad protegendum: si vitam longæuam viuere,* Phœnix *offertur immortalis: si inter purpuratos æternæ gloriæ Ciues haberi, censeriq; in votis habes; á triumphali diuinißimi* Pelicani *purpura, auspicatum omen accipe. Atque dum* Magnificæ ac Generosæ Dominat: Tuæ *Humanitas etiam velut Aquila in sublime euolat; sub pennis alarum suarum me fauorem suum sperare permittat.*

Magnificæ ac Generosæ Dominationis Tuæ

Humillimus Cliens

Andreas Choynacki,
Art: Typ: Socius.

ROSA SINE SPINIS.

QVæ *Olivarum in Monte*
ſuâ expalluit ROSA *in purpura*,
ad *ſanguineam pruinam* emarcuit
operante Livoris æſtu
Ex *Horto* avulſa *Gethſemani*,
Inter *Saxa* delituit.
Prodigium!
FLOS CAMPI *in tumulo non fætet Triduanus*.
Ad ſtuporem *Myrrham* fragrans refloreſcit.
Sed Illius JOSEPHI in *Horto*,
Cujus pluſquam pio á Nomine,
non potuit in *odorem ſuavitatis, non accreſcere*.
Sine SPINIS ad vitam animatur,
acutis quadratura ingenijs
SAPIENTIAE in *Lauream*.
Ante geſtata in capite hæc ROSA,
Quod acumen haberet, moleſtè ferebatur;
Hinc *Orbis* habuit quòd hebeſceret.
Quodquod ſapimus:
CORONEMVS NOS ROSA.

NVLLO OMINE FATI.

Quæ ROSA *vitalem* ſine SPINIS ſpargit *odorem*,
Non eſt *Lethiferæ* prodroma verna *Deæ*.
CANDIDA deſignat *niveam* per ſæcula *vitam*,
Hæc etenim nullum *Mortis acumen* habet.

SOL SINE MACVLA.

EVigila tandem profundiſſimo è mortis ſomno
Sopite Orbis!
DIES illuxit, *Veritas de terra orta eſt,*
Mendaciorum diffugite ſomnia,
Lux *illuminans omnem hominem* affulſit,
Nocturnæ ſuperſtitionum cedite tenebræ;
Mortua omnium revixit VITA quam poſt hac moritura.
Huc, huc è ſepulchris mortui;
Vita enim noſtra hodie facta eſt immortalis.
Manè rubens Cœlum,
Nocturnos illos imbres indicat,
Quibus ſuo in *Occaſu* ſeſe immerſit
DIVINVS SOL.
Naufragatus eſt Amoris in balneo,
ut feliciter ablueret *Maculas*,
quibus *Illum* Invidia deturpauit,
dum *mentita eſt Iniquitas ſibi.*
Lætiſſima ſolis prodroma AVRORA auream horam nunciat,
ac Orbi univerſo quid? BONVM DIEM apprecat

TEMPESTATEMQVE SERENAT.

Cæce *Tuum* quid munde ſtupes *poſt nubila Phæbum:*
Quòd rutilet Circo CANDIDVS *Ille* Tuo?
An *Maculas* in SOLE *novas* gens Invida quæris?
Sanguineo Maculas abluit Ille *Mari.*

VICTOR.

VICTOR LEO.

PLaudite AGNI!
VICIT LEO DE TRIBV JUDA.
Pro spoliis *Draconi* abstulit
POMVM AVREVM.
Pretiosa fuit hæc Victoria:
quæ, vt faciliùs devolveretur
DIVINVM in MARTEM,
Volubili in Orbe vertebatur.
Non ideò tamen rotundum dixero:
Vt credo Arrogantia DIVINIS illuderet,
Fortunæ PILAM in Cœlos projecit:
in Terras *Illa* decidens,
non tetigit planum indivisibili
Honoris in puncto.
Imò, ne quidquam illius *divideret*
quod studebat *subtrahere*,
omnem *numeravit* dandam gloriam
LAPIDI ANGVLARI *ad quem offendit.*
ORBEM Fortunæ GLOBVM credite,
Etiam dum *tribus appensus digitis Leonis unguibus exploratur.*

AMAT VICTORIA LVDOS.

Dum *Caput* impeteres *Divini Munde* LEONIS,
Munde pedes Domini lapsus es *ante Tui.*
Felix casus erat! *Victor* quia *ludit Amore*,
Scilicet ut *victus lucra Furoris* agas.

FORTV-

FORTVNATA AQVILA.

IN *Petra* ad quietem deponitur CHRISTVS.
O factum benè!
In *Saxis* nimirum nidulantur AQVILÆ,
Illud mirum:
è nidulo ante triduum provolare,
nisi fortè mortis tenebras ferre non potuerit,
quæ ad *Vitæ Solem Divina Aquila* assuevit.
Orto iam Sole in campum prodit,
totâ die vigilatura,
vt vesperi geminam prædam agat
Avolantium *in Emmaus Columbarum.*
Non est otiata in Meridie
Consolando in *Galilæa Turtures.*
Desolatos *Pullos suos* vt ad lætitiam provocet,
PACEM *Victrix* accinit.
Quorum fami vt succurrat *suavius*,
MELLE cibat famelicos,
Tutiùs certê quiescere non poteratis
Magnæ AQVILAE pulli, Discipuli,
quàm sub vmbra istarum alarum.

AMOR ADDIDIT ALAS.

Divinæ post fata *Aquilæ*, non tertius arsit
Cynthius, è *Nido* provolat Illa suo.
Nempe moras exosus *Amor* superaddidit alas,
Crede mihi nullæ sunt in *Amore* moræ.

GLORI-

GLORIOSVS IASON.

FElicior JASON!
Post infortunatum naufragium,
Sangvineo è Mari purpuratus VICTOR
Lætâ fronte portum salutas.
Non potuisti perire:
Navigium Gratiæ apparârunt.
Luctatus es Navi,
sed quam CHARITAS in *Corde* composuit:
Procellas infregisti.
FIDES CRVCEM pro Remo substituit.
SPEI ANCHORAM jacebas,
ut tutior quiesceres.
Post triduum stygia reverteris à *Colchide*,
STAT CITÒ:
Divinioris afflatus Aurâ quomodo morareris?
STAT BENE.
Neque enim poteras meliùs
Quàm OVEM LVPO eripere.
Nisi fallor, ut
Omnes thesauri in te essent absconditi.

FORTVNAM VICISSE IVVAT.

Per mare sanguineum Stygiæ qui Colchidos oras
Invisit, fausto Numine VICTOR adest:
Fors novus *Auratum Vellus* quæsiuit JASON,
Quis neget aurati velleris Author erit?

REDI-

REDIVIVVS PHOENIX.

NEgotia *Sæculorum* tractaturus
DIVINVS PHOENIX,
Crucis Lignum in Montem Calvariæ extulit:
quod ne degeneraret ab *Aromatibus*,
SVAVE fuit JVGVM.
Vt pyram animaret Amoris in incendium,
Alas Manuum expandit.
Tum *Auram* excitavit arsuræ fatali flammæ,
Quando
INCLINATO CAPITE EXPIRAVIT.
Redactus Judaicâ vanitate in cineres,
IN VERMEM, non in HOMINEM transijt.
Qualis transubstantiatio?
Alas cum *Tempore* nactus,
Humanas ambivit perfectiones.
Annuit Natura.
Vt quod stuperet, haberet Orbis.
Miretur jam à *Morte* excitatum ad *Vitam*,
Sed inter prodigia reputet:
quòd ANTIQVVS DIERVM juvenescat.

ETIAM POST FATA SVPERSTES.

Non *Homo*, sed *Vermis* CHRISTE es; sed qualis? *Amoris*
Phœnicem Tua Te Crux, bone CHRISTE, probat.
Vivere quisquis amat *post fata* peracta *superstes*,
In *Vermem*, & *Cineres* Is, sed *Amoris*, eat.

PELI-

PELICANVS PVRPVRATVS.

SOla Pelicanos, quæ à ſanguine venit, purpura decet;
amor eam cruentat, dum ſe eviſcerat,
qui cùm amando prolem liqueſcit, in fontes ſanguinis abit.
Quidni ad purpuram ſuam,
PELICANVS triumphator veniat?
quam ipſe, vſque ad mortem tinxit; vt ij etiam viverent;
qui Chlamydem purpuream circumdederunt ei.
Fontem tincturæ quæris? pectus apertum inſpice.
Non Longinus, ſed longa amoris manus *lanceâ latus eius aperuit*:
quia PELICANVS, niſi confoſſo pectore ſit;
amoris Ideam ſcindit.
Non ſcidiſti eam, Victor PELICANE IESV, non ſcidiſti;
quinimò vt integram ſervares; cor etiam ſcindi, & exire cum ſanguine
& aqua permiſiſti:
vt omnia, pro ijs, quos pectoris ſanguine paſcis, expectorares.
Pectus ergo non habeat,
qui te non diligat, purpuramque tuam non adoret;
in qua tu, vt *regnares à ligno; vſque ad guttas ſanguinis decurrentis in terram, deſudaſti.*
Quod ſi dubitat adhuc, hæretque;
mittat manum ſuam Thomas, in latus eius, & videat;
quàm *profundè*, *in Pelicanum* hunc, amor ſæuijt.
Sed ecce,
qui *ſimilis* in Cruce *Pelicano ſolitudinis torcular calcauit ſolus*,
jam cum *Filijs lucis*, quos ſanguine lavit & pavit,
REX Regum & Dominus Dominantium,
triumphat purpuratus.

PECTORA RVMPIT AMOR.

Rex amor eſt cordis, docet illum purpura cordis;
Purpura ſed cordis. ſanguine tincta rubet.
Induit hanc Victor Chriſtus, ſed pectore rupto;
Scilicet impatiens, pectora rumpit amor.

~~Chojnacki Andreae~~

~~Dei Hominis e mortuis redivivi Triumphus.~~

...etus.